



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXVII. Rvotgervs. XLI. Arch.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

rio inclusit, mox & ipse non imparem sustinens fortem, dum Richarde legitima conjuge rejecta, aliarum amplexibus adeò se implicuit, ut sceptro regnòque orbatus, vix haberet, unde viveret. Radbodus interea post celebratam Moguntiaë Synodum, dono Arnolphi Imperatoris S. Servatii Abbatia auxiliavit Trevirensis Ecclesiam. E contrario idem Imperator S. Maximini vel monasterium vel, ut vocamus, Abbatiam Meringaudo inter Seculares Duci obtulit, qui eapropter membris captus omnibus, merito à Superis videri potuit esse punitus, præsertim cum non, nisi ad D. Maximinum fuis precibus est restitutus, ex monasterii hoste, ejusdem amicus effectus ad sepulchrum usque constantissimus. Ut resarciretur etiam damnum maximum à Normannis illatum, Ecclesie Trevirensi à Ludovico IV. Imp. donatum est Sirckium cum juribus aliis intra & extra urbem vectigal exigendi. Hæc aliâque beneficia à Supremis Capitibus in Trevirensium Sedem collata, Radbodum suum Principem Authorem jure venerabantur, Gubernavit Ecclesiam suam ad annum usque 918. per annos Sedis 32.

SECVLUM X.

LXVII. RVOTGERVS. XLI. ARCH.

Ruotgerus Radbodo animi magnitudine, & virtutibus aliis minimè impar, Cleri populique suffragiis in Archipræsulem electus est, non expectato ullius Regis annutu, uti nupèr Ecclesiasticorum in jurium & bonorum violatores volebant. Adversa valetudine ut plurimum afflicto, & valetudinem pristinam votis omnibus flagitanti, D. Maximinus rem optatam promisit, si corporis sui Reliquias rursus hostium oculis ereptas, terræ gremio committeret. Data servatâque fides Maximino, qui fidem sedulo servanti restituit sanitatem, Restituta sanitas tan-

tum

tum in Ruotgero operata est effectum, ut S. Eucharii ædem, & huius bona à violentis raptoribus afflicta, restitutis possessionibus, strenuè vindicârit. At non tam bonorum terrestrium, quàm morum optimorum assertor strenuus an. 925. Trevis Concilium unà cum Suffraganeis & Clericis suis adornavit, præsentibus Adalberone Metensi, Barnoino Verdunensi, & Drogone Leucorum Episcopis. In eodem decretis variis solutior Ecclesiasticorum disciplina arctiùs restricta, & liber ab ipsomet Ruotgero conscriptus, quem tanquam Ecclesiasticarum Sanctionum synopsis summus omnium assensus laudavit. Virorum literis addictorum æstimatorem fuisse testatus est Flodoardus in seculo ferreo vir aureus, qui cohortatione Archipræsulis accensus, Poematum octodecim libros, nimirum tres de triumphis Christi Sanctorumque Palæstinæ, ac quindecim alios de triumphis Sanctorum Italiæ conscriptos ad Ruotgerum misit, atque ejusdem nomini inscriptos dedicavit, qui hodie supersunt in Metropolitana bibliotheca Trevirensi, Annus vitæ ultimus Ruotgero fuit 930. Sedis 12.

LXVIII. RVOTBERTVS, XLII. ARCH.

Ruotbertus ritè eligentium suffragiis vocatus, ut ait Brovverus, *Vir Regali prosapia, & in obeundis Pontificiæ dignitatis muneribus acris & vigilantis ingenii. Pater ei Rudolphus Burgundiæ Rex, qui nupèr Franciam, atque ingenti virtute partem Italiæ regnum Berengario fuso atque fugato aliquamdiu tenuit. Mater Bertha, Arnolphi Bojarie Ducis filia. Sororem habuit Adelheidem, primùm Lothario Regi Italiæ, inde magno Ottoni Imp. connubio sociatam, cuius nobilissimæ scemine in Ecclesiam Trevirensensem meritorum extant egregia documenta.* Talis actanti Archiepiscopi auspiciis translatio D. Magnnerici Episcopi ad D. Martinum est celebrata; D. Maximini Basilica recens extructa ac consecrata, nec non quinque Episcoporum Trevirensium Reliquiæ, nimirum DD. Agritii, Maximini, Nicetii, Basini & Veomadi ibidem sunt reconditæ. Dum pro Divornm honore, & Dei perinde gloria tantopere sollicitus fuit Ruotbertus,

Supe-